

quantulum de caliditate orientali participat. Vnde obseruatur esse tonitruosus præcunctis ventis, porro ob congelatiuam & constrictiuam suam dispositionem coarctat nubes ligatque aquas in glacies.

Dextra *Boreæ* ala est ille ventus, quem dicunt *Circium*, atque hic flat ab eo occidentis puncto in quo circulus arcticus secare obseruatur horizontem occidentalem: Est hic ventus in sua conditione frigidus & siccus, sed aliquantulum ob eius ad angulum occidentalem propinquitatem ad humiditatem inclinatur, sed siccitas nihilominus præualere animaduertitur. Hic solet ventorum gyros seu turbines proferre, niues item producit, nubes & vapores in aere coarctat, seu potius ipsum aerem & formam vaporum inducit, ac tandem in nubes niuosas transmutat: Est etiam hic ventus fulminosus, hocque præcipue in æstate.

Horum trium Ventorum proprietatem tam in salutis quam morbi in utroque mundo productione filo quidem longiori in volumine nostro proximo ubi de Salute & morbo agemus Deo propitiante protrahemus.

## C A P. VI.

### *De Ventis tribus Australibus cum ipsorum conditionibus in meteororum productione.*

**D**enique Cardinalis & in meridie principaliter regnans ventus, qui à polo Antartico spirare dicitur, *Auster* vocatus est, ab hauriendo aquas ut nonnulli volunt. Hic in sua natura est calidus & humidus, vnde non modo grossas & assiduas nubes solet congregare, verum etiam largas pluias effundit: hic fulminare, aerem grossum & spissum reddere, nebulas nutrire, atque etiam sæpicule fulminare & tonitrua larga edere solet, Porro ut *Boreas* est ventus durus & humores indurans, ita *Auster* est mollis & mollificans.

Ala huius dextra flat à loco intersectionis, facta à circulo antartico in Horizonte Orientali, & vocatur *Euro-Auster*, qui in sua qualitate est calidus & humidus, at vero propter eius ad angulum Orientalem aspectum aliquantulum est calidior & non omnino ita humidus ut *Auster*: hic est nubifer atque quandoque tonitruorum productor.

Ala eius sinistra est *Austro-Africus*, qui flat à puncto Horizontis occidentalis ubi circulus Antarticus secat ipsum: hic ventos tempestuosos producit, qui cum nubibus quandoque tonitrua concomitantur.

Hinc ergo videtis, quod intuitu vulgari atque experientia communi docti percipiunt, quod meteora quasi omnia à ventis procedunt, at vero, quid sit horum Ventorum internum profecto Ethnici nescire nobis videbantur, utpote qui ipsorum internum agens exhalationes è terra scaturientes, atque calore solari animatas inconsulte fatis fecerunt: A Diuo vero Iohanne docemur quod nesciatur vnde venti orientantur, aut quo vadant, & quod spiritus soleat spirare ubi vult: Et Propheta ait, quod Iehoua fecerit Angelos suos ventos, & ministros suos flammam vrentem, quo quidem sermone perspicue explicare videtur, quod duplices sint ventorum species more Angelorum, utpote qui audiuntur & minime videntur, suntque occulti, & qui videntur & lucidi sunt, & minime audiuntur, nisi per effectum,

vti in tonitru sunt fulgura & coruscationes. Atque ita & tædio tanti laboris defessi quali & fatigati, finem huic volumini, (non sine perpetua ad Deum creatorem nostrum gratia & benedictione pro tanto fauore & illuminatione) lubentes imponimus.

F I N I S.

DE